ORATIO
DE
AUGUSTISSIMO
ERBI INCARNATI
MYSTERIO

Metropolitana D. STEPHANI Basilica

CORAM

NTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

IVERSITATE VIENNENSI,

DEFERENTE

DMODUM REVERENDO

AC CLARISSIMO PATRE

UDOVICO DEBIEL,

tate JESU, AA. LL. Philosophiæ & SS. Theologiæ ore, ejusdemque in Antiquissima, ac Celeberrima Universitate Viennensi Professore ordinario,

Nec non

Inclytæ Facultatis Theologicæ p. t.

ECANO SPECTABILI,

tatis JESU Religioso, SS. Theologiæ in secundum annum Auditore dicta.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

POLDI JOANNIS KALIWODA, Universitatis Typographi. 1739.



ORATIO.



Ominem Divini ſemper fuiſſe curam conſilii, totidem nobis declaratur argumentis, quot numeramus artes, quibus artifex ſapientia mortalium impugnavit pectora, ut mortalem im-
ortali vinculo ſuaviſſime ſibi devinciret. *Perilluſtris, Magnifice Domine Univerſitatis RECTOR! Admo-m Reverende, ac Clariſſime e Societate JESU Pater, clytæ Facultatis Theologicæ DECANE Spectabilis! clyta Facultas Theologica! Senatus, Populusque Acade-ce!* Inde eſt, quod Omnipotentia princeps omnium arenam deſcenderit, & pulcherrimam hanc mundi fa-cam in humani generis delicias adornarit; hæc tantam chitectata eſt molem, hæc exquiſitam adeo formæ ma-inata eſt venuſtatem, hæc multiplicem illam rerum

A 2 condi-

condidit varietatem, ut mortales oculos in obſequentem traheret admirationem, & optatos mutui amoris fructus ab homine meteret.

At vero præclaris hiſce pervagatæ beneficentiæ monumentis operam (dicere mihi liceat) luſiſſet omnem Omnipotentia, niſi vicarius eidem ſucceſſiſſet Amor, & miſſo Divinitatis Solio cauſa pari, ratione prorſus diſpari amicam aciem inſtauraſſet. Quid igitur egit? aut quid agere potuit Divinus Amor, ut obduratas hominum voluntates ſibi faceret vectigales? Advertite, ACADEMICI! paucis edicam: Immenſum Divinitatis ſplendorem quibusdam quaſi tenebris obſcuravit, formidandum Majeſtatis apparatum cultu paupere occultavit, infinitam DEI magnitudinem anguſtis humani corporis limitibus circumſcripſit. Etenim dum humanis ſeſe membris cooperuit DEUS, dum cœlum cum terra, thronum cum vili præſepio commutavit, amovit ea omnia, quæ ab amore abſterrere poterant, ea, quæ amoris incremento maxime ſervirent, adſcivit. Quæ duo dum pluribus exequi adgredior, id operam dabo, ut Divini erga nos Amoris magnitudinem, quantum intra exiguos orationis limites coercere licebit, intelligatis.

AMorem & Timorem gemina Dominantium præſidia diſſidere plurimum pervetuſtæ experientiæ vox eſt, ipſius quoque ſapientiæ tabulis comprobata; neque enim Timor aut beneficiis ſubditorum conciliat

ciliat benevolentiam, aut officiis consectatur gratiam, neque meritis ullis pronam populorum obtinet voluntatem; immixtus terrori mortalium ubique pœnam circumfert ac servitutem. Amor, suam persequens libertatem, dominatum respuit, durasque ita contemnit servitutis leges, ut actum ageret, si timeri amaret, si ferrò, si fulmine Regnum suum stabiliret. Senserunt id Duces illi magni, & populorum triumphatores, qui victores ut ut gemino in orbe pedem defixerant, in amore, ceu unica adorearum basi constitere; superbis illi provincias peragrarunt victoriis, exercitus terrore fortissima sibi subjecere propugnacula, belli fulmine munitissimas stravere urbes, non animos, oppida, non corda. Hinc seposito, qui incusso metu animorum præpediret victoriam, triumphali fastu, lauros, alias subdi nescias, amoris clementiæ subdidere, ut debellata populorum fidelitate amoris stabilirent principatum. Artes has, quibus mortalitas amoris imperium protulerat, suo DEUS ipse exemplo ratas habuit; vindici enim Majestatis splendore videns prosterni Angelos, ad fulmina expavescere mortales, vel ad nutum profundissimas terrarum abyssos contremiscere, neque inde amoris proferri fines, timorem amoris hostem infensissimum toto late orbe ejecit.

Divinitate quidem ipsa ad miseros nos mortales inviserat, sed hujus fulgorem humano corpore, ceu nube quadam velaverat; Judex ille, ad cujus tribunal causam dicet mortalitas, mundum subiverat, non feralem in reos

mortis ſententiam, ſed vitam & amoris ſui beneficentiam promulgaturus.

Terruerat olim mortales formidandum Dominantis nomen, cum mare vix eo audito fugeret, cum ad ejus imperium juſte tonaret cœlum, & per ultricia fulmina nocentes terras abſumeret; loquebatur olim Dominus non niſi grandia grandibus: e denſa nubium caligine, in fumantis petræ vertice, inter tonitruorum fragores leges amico dictabat populo; non mortalium ſubibat oculos, niſi pro comitatu incendia, pro ſatellitio tempeſtates, pro ſplendore formidandos Angelorum exercitus ſecum adduceret. Nunc ſepoſita terribili Majeſtatis reverentia, mundum ſola ſtipatus humani corporis imbecillitate ingreditur, vagitum edit, non tonitru, invitat aſpectu, non terret fulmine, ſub amica noctis deliteſcit caligine, non coruſcat ignibus, miſſo denique Angelorum ſatellitio, a jumentis viliſſimis, a deſpecta mortalium cingitur egeſtate. Obſtupeſcendam Angelis ſapientiam celat vagitu, ne quid noſtra timeret inſipientia; conſtringit Omnipotentiam imbellibus faſciis, ne infirmitas noſtra vereretur; tribunal Judicis, ſeveritatem Juſtitiæ infantilibus cunis, vili ſtabulo definit, ut ne perfida trepidaret improbitas, ſed metu ſolicitos mortalium laxaret animos, & diſſimulato DEO, ac Judice, omni remoto obice, hominum cordibus inſpiraret amorem.



At parum in rem noſtram diſſimulata ſolum DEI ac Judicis Majeſtate Divinus contuliſſe Amor videri poſſet, niſi DEUM quoque in hominem, Judicem in placidiſſimum Patrem, ac prope amicum commutaſſet, ſicque ſe inter & hominem ſive morum, ſive munerum, quæ amoris ſcaturigo eſt, communionem induxiſſet, & æqualitatem. Audax effatum! quî enim Numen, nulli aut temporum, aut munerum viciſſitudini obnoxium, quidpiam de inſtitutis ſuis, de congenita ſibi gloria, ac Majeſtate immutabit? Effecit tamen id Amor, & ita DEUM humana induit imbecillitate, ut congenitam Divinitati ſuæ non amitteret Majeſtatem. Novum quippe (ut eloquentiæ religionem ſacratioris ſcholæ placitis ſubjiciam) novum *Eſſe* acceperat DEUS de priori nihil amittendo, ut DEUS ſit æque homo, ac homo DEUS; qui enim noſtram aſſumpſerat naturam, ut homines faceretDeos, velut immenſa cœli terræque ſpatia in punctum colligeret, DEUM & hominem conciliavit, ne injurio pavore homo metueret DEUM, ne verum amoris fontem vel in DEO deſideraret æqualitatem.

Ecquid autem is, qui DEUM, mutatum in hominem, formidare nequit, ad ſeveritatem Judicis expaveſcet? eſſet enim vero, eſſet, quod rea criminum conſcientia fatalem arbitri Numinis expaveſceret ſententiam, quando inveteratis flagitiis, armatam fulmine Juſtitiam ad vindictam provocavit, niſi Amor, qui DEUM mutavit in hominem, Judicem quoque in Patrem, imo ami-

amicum convertisset. Relicto enim censore criminum solio in terras tunc DEUS descenderat, quando sol lucem suam non nisi idololatris, quando terra fœcunditatem nonnisi sacrilegis, quando ipse suam, tot sæculorum desideratam suspiriis, præsentiam tot odii solummodo & justissimæ vindictæ irritamentis impertiri poterat; at tantum abest, ut in illo criminum censorem metus noster acciperet, ut Patris clementiam potius & amici blanditias experiretur.

Vix fontes terras conspexerat, amorem pro furore induit, a justissimo, quod perduelli paraverat impietati, bello in pacem deflexit; provocatus ad fulminandam in reos sententiam, injuriarum absolvit; quin ut omnem a mortalibus arceret formidinem, nuncios præmisit Angelos, qui clementiam, qui pacem, qui amorem promulgarent, & ad ineundam secum arctissimam amicitiam invitarent. Hujus ut specimen exhiberet, in partem curarum juxta ac dolorum nostrorum venerat, luctibus nostris luctum miscuit, gementibus collachrymavit.

Parce jam metui anxia mortalium solicitudo! pende amorem, quando timere nequis, quando in verendo nihil jam amplius pertimescendum est Numine. Amovit Amor metuendum Majestatis apparatum, sublimitatem Numinis depressit, severitatem mutavit Judicis, Divinum ad fastigium tuam extulit humilitatem, DEUM inter & hominem amorum matrem peperit æqualitatem.

Quid

Quid moratur? quin illi reſpondeas amori, qui non ſolum timeri vetat, ſed & blanditiarum, imo beneficiorum illiciis ad amandum invitat.

REmotior a noſtra memoria ætas deſcripſiſſe optime ſibi videbatur amoris ingenium, dum illud puſilli infantis ſub imagine adumbravit, ceu ratio & provecta ætas ab amore penitus abhorreret. At inuſtum tibi hoc patiare dedecus, Amor profane! puſio es, uti annis, ita ratione carens, cum cœco amandi impetu, non provido cautæ mentis conſilio agaris; tempus tibi inimicum eſt, in hoc capitalem, qui te jugulat, hoſtem experiris. Alia Divini Amoris eſt indoles; dejecit ad cunas Majeſtatem, imbelles elegit faſcias, quia ratione utitur, quia amoris perpetuitatem non temporis anguſtiis, ſed æternitate circumſcribit. Induit Divinus Amor parvulum; o delicias! oculorum blandimenta movet; o dulce imbecillitatis noſtræ illicium! ſic naſci, ſic oculis obverſari voluit, tam innocentibus invitare illecebris, ut nihil omitteret, quod amorem vel a barbaris extorqueret.

Da veniam hic ſublimium non niſi rerum arbitra mortalium Sapientia! ſi cogitatus tuos parvulorum cunis ſubjiciam, ſi e crepundiis momenta cauſæ detegam, quibus vectigalem amori ſubſternas voluntatem. Imbellem aſpice infantiam, ut mortalium incantat animos? ut ex inſidiis captat pectora, etiam hebetum, etiam barbarorum? Innocentia illa, quæ oculis potius quam ver-

bis precarium sibi postulat affectum, arridentes sine lege omnibus serenæ frontis blanditiæ, ignara artium & prompta, ignotis etiam sese committendi facilitas, imbecillitas illa, quæ suavi potentia & oculos rapit, & animos, tantum in mortalium pectora tenet dominatum, ut videri non possit, judicari nequeat, quin ametur. Quid imbecillis humano in pectore possit infantia, si non vobis, saltem credite genitoribus, credite barbaris, vel ex belluis intelligite. Reptantem illi in cunabulis parvulum arridere sibi vix sentiunt, jam mutui esse amoris signum rati, in manus susceptum fovent amplexibus, levem risum deproperatis rependunt basiis; barbarorum sævities, belluarum immanitas ad suaves infantis blanditias, ad dulces ætatis hujus illecebras exarmatur.

Si ipsa igitur infantia tantum in omnes amoris obtinet dominatum, quæ tandem causæ momenta invenire poterit genus humanum, quibus ingratam in amando DEO homine excuset amoris tarditatem? an suavissima parvulorum illicia in solo infante DEO hominum nequeunt invitare animos? an non majora vel inde sunt amoris incitamenta, quia ultro assumpta, sponte electa, summam quoque beneficientiam suum ducunt in comitatum. Infantilibus enim sese membris cooperiens DEUS, humanis premi voluit calamitatibus, ut nos redderet felices; servitutem induit, ut in libertatem nos restitueret; paupertatem elegit, ut æternos aperiret thesauros; nasci voluit morti, ut immortalitatem nobis vindicaret,

tot

tot modis in nos beneficus, quot nos ingrati, quia amavit beneficiorum immemores, ut amoris exhiberet magnitudinem.

Fortiſſima homines inter amicitiæ vincula ingrata officiorum diſrumpit oblivio, neque vel dubia in referenda gratia pietas novis digna beneficiis unquam viſa eſt; ſæpe quidem illos etiam complectimur, qui ingrati animi laborant vitio; & infenſiſſimos, amicos inter numeramus, quia, arcana cordium perſpicere homini cum non liceat, ſimulandi artibus, quibus veritas obtegitur, noſtra fallitur credulitas; verum ſic inimicum diligere, ingratum complecti, indignum non tam amaſſe eſt, quam ignoraſſe. Faceſſat hæc a Divino Amore ignorantia: amavit homines, & non ignoravit ingratos; vidit hoſtes, & indignos ornavit beneficiis; amoris oculos non in lapſa modo, ſed poſtera etiam conjiciens tempora, quos ab injuriis & odio nunquam diſceſſuros viderat, ſumma complexus eſt benevolentia.

Verum ne hæc ipſa amoris magnitudo ſolicitæ in referendis gratiis mortalium imbecillitati non amoris, ſed meriti potius timoris eſſet incitamento, charitatis magnitudinem novis occultavit artibus; diſſimulavit amoris vehementiam, ut omnem ingrati animi culpam a nobis removeret. Alto noctis in ſilentio e cœleſti deſcendit ſolio, ne mortalium culpæ, ſed tenebris potius tribueretur ignorantia; in lachrymarum imbrem ob noſtra ſolutus eſt crimina, & hoc prodigæ lachrymarum infantiæ

adſcriptum voluit; in ventis undique pervio natus ſtabulo, locum negat fuiſſe in diverſorio, ne ingrata hominum notaretur crudelitas, quæ nec vilem in urbe conceſſit angulum; ſic naſci eligens, neceſſitatem videri optat, culpam tempori tribuens, ut celando amoris excellentiam ingratæ mortalium conſuleret oblivioni.

I jam, cauſare quidpiam meticuloſa mortalium imbecillitas! quo minus indutum mortali corpore proſequaris Numen. Formidandas finge rerum imagines, timorem conſule, ut momenta ſuggerat, quæ ab amando DEO homine poſſint abſterrere. Non eſt jam amplius, non eſt, quod metuas; vetat timorem amor, qui omnia formidinis incitamenta proſcripſit, omnia amoris adſcivit. Numinis timuiſti Majeſtatem; an hominem non amabis? Ad judicis trepidaſti ſeveritatem; an Patrem non amplexaberis? an amicum, an infantem expaveſces? Amoris blandimenta poſcis, beneficentiam exclamas? habes blandientis in cunis Parvuli beneficia, totidem tui pectoris invitamenta. Ad Amoris magnitudinem immemor beneficii obſtupeſcit culpa? novit hanc Amor, & a crimine removit. Adſterne igitur nati DEI hominis præſepio amorem; ama tota animi potentia, qui, ut amaretur, ſua te complexus eſt omnipotentia.



D I X I.